Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

34

No 47.



M. Tuscher fecit

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

= L. N 1189. α 1 M
β LN 1192 M

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

ΕΠΙΔΕΙΓΜΑ
SEV
SPECIMEN COMMENTATIONIS MEDITATIONISQ; Sacrarum Literarum, in gratiam tyronum Gymnaſij Aſloënſis,

explicatione

PRIMI CAPITIS GENESEOS

Exhibitum

A

IOHANNE NICOLAI, ASLOENSIS & Hammarenſis Diœceſium in Noruegia Superintendente.

ROSTOCHII

Typis Stephani Myliandri.

Anno Gratiæ

M. D. LXXXIII.

=LN 1189
ex. 1 M

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

Reuerendo & clariſsimo viro, pietate, doctrina, dignitate & humanitate ſingulari, cæteriſq; virtutibus præcellenti,

DN. M. FRANCISCO BERGIO, APVD ASLOENSES ANTIſtiti & Canonico Ripenſi longe digniſsimo, ſuo ſocero, amico ac domino ſumma ſemper obſeruantia colendo,

S. D.

QVanquam recens hic & acerbus animi dolor ac luctus incredibilis ex obitu chariſsimæ coniugis meæ ſuſceptus, & negociorum quibus inuoluor fluctus ac labyrinthi meis honeſtis conatibus impedimentum inijciunt, venerande ſenex, ita vt quibus ego verbis vel pares T. P. gratias agere, vel mei conſilij rationem, quam in hac editiuncula ſecutus ſum, rectè explicare poſſim, non inueniam: Quia tamen & occaſio poſtulat & res ipſa, vt pro tuis beneficijs, quæ latiſsime patent, & in me quoq; profecta ſunt plurima, gratæ mentis ſpecimen aliquod exhibeam: committere non poſſum quin cum honorifica tuæ digni-

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

dignitatis & laudis mentione, intentionis meæ propoſitiq; rationem hic quàm breuiſsimè patefaciam. Cùm exploratè compertum haberem, quantopere referret, non modò ſeipſum pia meditatione & tractatione doctrinæ cœleſtis exercere, & ad ſtudium benè in his terris viuendi exuſcitare: verùm etiam alios, præcipuè verò iuuentutem, quæ optima pars eſt generis humani & Eccleſiæ flos ac ſeminarium, ad præclara pietatis & laudandarum artium ſtudia capeſſenda, vitamq́; laudabiliter inſtituendam cohortari: totum illud tempus, quod mihi à laboribus viſitationis & multis alijs occupationibus, quas ingerit hæc functio, vacuum fuit, Muſarum exercitijs & ſacris lectionibas impendere cœpi: vt me meoſq; auditores ad hæc ipſa pietatis ac humanitatis ſtudia excitarem. Cumq; diligenter mecum reputarem, quænam illius κειμηλίου precioſiſsimi, quod Deus immenſa miſericordia & inexhauſta bonitate Eccleſiæ ſuæ contribuit, & in quò eſſentiam ſuam & voluntatem eidem reuelauit, præcipua pars eſſet, breuiter totam pietatis doctrinam ceu Aphoriſmis quibuſdam

 comple-

complectens: animaduerti primum Moſi volumen, & præſertim tria prima in eo capita, præcipua oracula continere, ad quæ, velut fundamentum & ſcopum ſeu metam, tota reliqua Scriptura, & omnes omnium piorum Eccleſiæ Doctorum lucubrationes, quibus illa ſuis euoluta ſenſibus illuſtratur, directæ ſunt: eandem ſacræ Canonicæ Scripturæ partem rudioribus pro mea tenuitate expoſitam tradere conſtitui, eamq́; ob cauſam in primum ſaltem caput enarrationem hanc qualemcunq́; conſcripſi. Et quamuis cùm eam meditarer, non erat mihi animus: vt hæc tam vilis inchoata atq; imperfecta commentatio ſeu abortio potius, præcipitatâ editione publicaretur, præſertim cum infirmitatis ingenij & virium mearum imbecillitatis ipſemet optimè mihi ſim conſcius, & extare non ignorem Lutheri, Chytræi & aliorum doctiſsimorum virorum lucubrationes in hunc ipſum textum Biblicum, quem enarrandum ſuſcepi, conſcriptas: tamen euulgandam, tuoq́; nomini inſcribendam eſſe duxi, cum ut eorum qui literarium hoc Gymnaſium in hac mea patria vrbe frequentantes in

ſtudijs

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

ſtudijs ſeſe exercet, aliorumq́; amicorum petitioni & expectationi ſatisfacerem: tum verò præcipuè, vt tuum erga me paternum amorem cum liberalitate quadam ſatis prolixa & ampla coniunctum, meamq́; in te viciſsim obſeruantiam hiſce qualibuſcunq́; laborum meorum primitijs publicè teſtarer: &, qui aliàs arcto affinitatis vinculo tibi adſtrictus obligatusq; ſum, nunc hac ratione tibi multò deuinctior ac commendatior forem. Quocirca te reuerenter & ſubmiſsè rogo, vt cùm non minus eruditionis, candoris & humanitatis ſingularis, omniumq; aliarum virtutum amplitudine, quàm dignitate & autoritate, addo etiam, veneranda canicie, eximiè decoratus ſis, hoc qualecunq; literarium munuſculum & hanc animi mei piam & gratam ſignificationem benigno vultu, quo aliorum conatus honeſtos approbare ſoles, accipere & æqui boniq; conſulere digneris. Id ſi feceris, non parum mihi fiduciæ addes, ſuſceptum negotium, Deo propicio & adiuuante, ad metam vſq; perducendi. Quod ſi verò cuiquam in hac re ingenij mei vires minus conſuluiſse videbor, ab eo per-

amanter & obnixè peto, vt non vires, ſed voluntatem meam æſtimet, & conatum, qui ſuum etiam in rebus arduis, modò ſit honeſtus, apud omnes probos laudem meretur & inuenit. Si qua mihi eſſet animi vis & ingenij robur ad huiuſmodi negocia conficienda, id omne occupationes continuæ & crebræ interpellationes facilè mihi adimerent, præſertim in hoc ægritudinis & acerbitatis meæ caſu, qui quantus ſit, & tua paternitas optimè nouit & ſentit, extincta filia ſua, erga quam fuit magnum amoris incendium, & omnes pij parentes & coniuges, præſertim illi quorum pectoribus στοργὰς Deus flagrantiores ingenerârat, facilè cogitatione comprehendunt. Non enim (vt eleganter & verè Poëta cecinit) dolor eſt maior quàm cum violentia mortis vnanimi ſoluit corda ligata fide. Sed meam voluntatem cœleſtis & generis humani amantiſſimi Patris voluntati propiciæ reuerenter ſubijcio: qui eam, quam dederat mihi fidam vitæ ſociam, piam, honeſtam, pudicam, ſobriam, induſtriam, quamq́ue ſuo ſapienti conſilio ex hac ærumnoſa lachrymarum valle ad ſuæ diuinæ lu-

cis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

cis, ſapientiæ, iuſtitiæ & vitæ æternæ fruitionem, die menſis Februaij 12. hora 4. matutina euocatam traduxit, in nouiſsimo die, qui dies eſt reſtitutionis omnium, mihi benignè reſtituet. Interim virtutum & meritorum eius, dulciſsimæq́ conſuetudinis, cuius fructum 20. ferme annos percepi, quo ad vixero recordabor: & Deum toto pectore precabor, vt in his ærumnis & doloribus nos conſoletur, erigat ac ſuſtentet, & ex præſentibus confuſionibus ac periculis Eccleſiæ & Reipub. Chriſtianæ imminentibus liberet, ac nobis εὐθανασίαν ἐν εὐφημίᾳ *ſeu felicem & fauſtam ex hac vita migrationem, cum inuocatione & celebratione ſui ſanctiſsimi nominis, ad cœleſtem Paradiſum & veram ac dulcem patriam noſtram clementer largiatur. Vale chariſsime Socer vnà cum familia tua, venerando collegio, & tota Eccleſia, quam Chriſtus mediator & ſeruator noſter regat, & ſemper vmbra manus ſuæ protegat ac conſeruet. Amen. Datæ Aſloiæ die 4. Aprilis, quo die S. Ambroſius Antiſtes Mediolanenſis & dominici gregis cuſtos vigilantiſsimus, Chriſtianæq́ Religionis propugnator acer-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

tor acerrimus, poſt multos labores & dolores exantlatos, variaq́ꝫ certamina, quæ forti & conſtanti animo diu ſuſtinuit, tandem in vera Ieſu Chriſti filij Dei agnitione & inuocatione ex hac ærumnoſa vita ad cœlites migrauit, ante annos 1182. facta numeratione ab hoc præſenti anno Chriſti redemptoris. 1583.

T. P.

addictiſs.

Johannes Nicolaj.

CLA-

CLARISSIMO VIRO, DOCTRINA, PIETA-
te & virtutibus ornatiſsimo, Magiſtro IOANNI
NICOLAI, Diœceſium Aſloënſis & Hamma-
renſis Superintendenti vigilantiſsimo, a-
mico meo ac affini omni ſemper
obſeruantia colendo.

Salutem æternam in filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto.

QVantum in mœrorem, Reuerende Domine Superintendens, amice ac affinis amantiſsime, nuncium id nimis triſte de obitu dilectiſsimæ coniugis præſtantiæ tuæ, ſororis noſtræ cariſsimæ, nos coniecerit, dici vix poteſt. Literas filioli tui Chriſtophori, querelarum ac lamentorum pleniſſimas (nam eas primum in manus ſumpſi) legere ſine lachrymis non potui. Quis n. hîc à fletu temperaret niſi ἄστοργος aliquis, ἀπαθὴς & qui omnes affectus humanos prorſus exuit. Non itaq; mirum mihi videtur quòd maritum chariſsimum in luctu acerbiſsimo nunc verſari audiam. Eſt ita natura comparatum, vt amiſſionem amicorum, eorum maximè quibus cum familiariſsimè & coniunctiſsimè viximus, feramus quàm grauiſsimè. Nam ſi columbis rationis expertibus eam natura affectionem inſeuit, vt comparem quouis amiſſum caſu, querulo requirat gemitu: quid de hominibus cenſendum eſt ijs præſertim, quorum pectoribus na-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

turæ author Deus στοργὰς flagrantiores multò inge-
nerârat, ij certè à natura generoſa nihil alienum vi-
dentur admittere, quòd in comparis ſui deceſſu, gra-
uiter afficiantur. Dolorem igitur talem ac luctum
quoniam στοργὴ ardentior exprimit, non modò ſapientes
Ethnici ſaniores concedunt, ſed probant etiam ſacræ
literæ, vt exempla paſſim occurrentia, itemq́ ſenten-
tiæ multæ inſignes teſtantur. Vnde & S. Paulus lu-
ctum admittit in amicorum deceſſu, ſed vult tamen mo-
deratum eſſe nec nimium, qualis eſt gentium, quæ
ſpem non habent. Nihil igitur magis hîc humaniſſime
affinis optârim, quàm vt præſtantia tua crucem hanc
æquius et moderatius ferat, ac omnes triſtes cogitatio-
nes animo penitus euellat. Quod eni uxor chariſſima
hoc tempore hoc modo ad cœleſte ſanctiſſimorum ange-
lorum & animarum contubernium euocata ſit, oracu-
la diuina certiſſimos nos reddunt, id ita Deo ſciente et
volente factum eſſe, qui pro æterna ſapientia numerum
menſium noſtrorum in conſpectu habet, ac numerum di-
erum ac tempus cuiq́ præſcripſit, qui item pro immenſa
& inexhauſta bonitate ac miſericordia, noſtri curam
indefeſſam gerit. Eſt pater noſter cœleſtis, qui nos
στοργῇ infinitis partibus ardentiore quàm vlla mater
etiam φιλοστοργωτάτη infantem vteri ſui tenerrimum com-

plecti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

plectitur. Quem ſuum noſtri amorem non modò in creatione, gubernatione, conſeruatione, ſuſtentatione, voluntatis ſuæ propiciæ reuelatione, ſed maximè miſſione filij vnigeniti in carnem & alijs donis & beneficijs ſpiritualibus & corporalibus abundè declarauit, indiesq́; declarat. Quod cum ita ſit, non dubium eſt ob emolumenta certa ita factum eſſe. Vixit coniunx ſuauiſsima, & ante matrimonium, & poſtquam fœdus id connubij ſanctiſsimum inijt, in timore Dei, humilitate, patientia, inuocatione aſſidua. exercitia pietatis publica & priuata nunq̃ intermiſſa ſunt, obedientiæ parentibus & marito debitæ nihil vſquam deceſsit, adſuit modeſtia, adſuit grauitas morum ſuauitate temperata, amoris ac fidei coniugalis ſemper memor, laborum, moleſtiarum, curarum (quæ non paucæ œconomiam adminiſtrantibus hoc præſertim infœlici ac infido operarum ſeculo ſeſe ingerunt) fidam ſimul ac ſedulam ſe ſociam declarauit, in rebus triſtibus ſolatium præſentiſsimum extitit, in dubijs & perplexis conſilium tutiſsimum ac promptiſsimum, quin adiutorium diuinum præſtitit. Poſt varios vocationis labores exantlatos voluit Deus in hoc partus opere vt verè admirando ita longè difficillimo, eam miro ſpiritus ſui ſancti robore firmatam, ſuperato agone acerrimo, præcipua-

rum virtutum vt viuæ & exporrectæ in filium Dei verum omnium propiciatorium fiduciæ, inuocationis ardentiſsimæ, patientiæ admirandæ, perſeuerantiæ ſingularis inſigne exemplum omnibus eſſe, quod imitentur, atq; ita demum huius vitæ miſerijs, aduerſitatibus periculis exemptam, æternæ vitæ bonis inæſtimabilibus, diuina luce, ſapientia, iuſticia & gaudijs veris, ſinceris, perfectis, perpetuis cumulari. Quia igitur Deo patri noſtro clementiſsimo ita viſum eſt, deceſſus hic feliciſsimus et lœtiſsimus habendus eſt. Si diuinæ ſapientiæ alius viſus fuiſſet commodior, eũ indubiè (vt inenarrabilis eſt bonitatis) conceſsiſſet. Eo igitur nos ſolemur, et conſilium diuinũ quo id ità factum eſt, grati recolamus, ſimulq; ardentibus votis precemur Deum, vt is nobis etiam ſpiritu ſuo adeſſe, nos regere dignetur, vt cùm hora nouiſsima aduenerit, viua fiducia et inuocatione ardenti in Chriſti ſinum nos reclinare, eiq; ſpiritus noſtros commendare poſsimus. Video quidem crucem hanc, præſtantiæ tuæ, optime Domine Superintendens perq; acerbam eſſe: ſed ea tamen non caret veris magnarum vtilitatum fructibus, vt ex verbo Dei liquet. Scio quoq; virtutum earum, quibus ornabatur coniunx, ſummæ item animorum veſtrorum coniunctionis memoriam perſæpe recurrere, mœroriq;

anſam

anſam non exiguam præbere. Sit ea potius cauſa dolorem leniens, vel amouens etiam. Nullum vnquam voluntatum veſtrarum vel tantillum auditum eſt diſſidiolum. Voluit ea cùm in viuis hîc ageret, vt maritus charisſimus munia vocationis arduæ neceſſaria lœtus obiret, ne remoram vllam negocijs publicis priuatiſue expediundis cogitationes triſtes obijcerent. Ita minimè dubium eſt animæ in manu Dei nunc agentis eandem omnino voluntatem eſſe, vt maritus ſuperſtes, nullo mœrore, nullis angoribus ſe maceret ſui deceſſus cauſa: cui ſi impendantur, nihil proſint: impendenti verò obſint plurimum: ſed multó magis diuinæ ſe voluntati reuerenter ſubijciat, triſticiam omnem remoueat, animum veris ſolatijs è verbo Dei petitis, amicorumq; colloquijs ſuauibus recreet ac confirmet, quo ſic commodius in vocatione ſublimi, gloriæ Dei, Eccleſiarum multarum ſaluti promouendæ, liberorum item ſuorum & amicorum vſibus neceſſarijs ſeruiat. Ab hac eius voluntate diuinæ omnino conformi, cui vota quoq; accedunt reuerendi ſenis ſoceri noſtri omni obſeruantia dignisſimi, liberorum dulcisſimorum & amicorum, quibus opera tua inprimis opus eſt, ſi etiam hîc præſtantia tua non receſſerit, argumentum id erit certisſimum non obliteratæ, ſed poſt funera etiam durantis ac

maximè vigentis veræ animorum veſtrorum concor-
diæ, quæ vt ante hæc nunquam infructuoſa fuit, ita
nunc non proprij modò corporis incolumitati, ſed &
Eccleſiarum harum ac neceſſariorum vtilitati optimè
conſulet. Explodatur igitur rogo amanter & quam
maximè poſſum, chariſsime affinis, optime Domine
Superintendens, ſpiritus triſtis qui exiccat oſſa: mœ-
rorem omnem ac cogitationes mœſtas, quoties obre-
punt, excutiant protinus tum iucunda amicorum (vt
dixi) colloquia, tum conſolationes diuinæ ſuauiſsimæ,
quibus & pium præſtantiæ tuæ pectus abundare ſcio,
& opus illud aureum viri omni laude digniſsimi Chy-
træi de morte & vita, eſt refertiſsimum. Quod
κειμηλίου precioſiſsimi, quod continet, & authoris quoq;
ipſius nomine noui præſtantiæ tuæ eſſe acceptiſsimum.
Precor votis intimis æternum patrem Domini noſtri
Ieſu Chriſti, vt is per eundem filium ſuum vnigenitum
ſpiritus ſui gratia præſtantiæ tuæ ſemper adeſſe, eamq;
ſuo robore confirmare velit in gloriam nominis ſui
ſempiternam, & Eccleſiarum harum emolumenta per-
petua אמן. His feſtinanter exaratis valeat præ-
ſtantia tua cum liberis chariſsimis & tota familia
quàm feliciſsimè. Tonsbergiæ, 17. Martij.
Anno Domini 1583.
Eraſmus Ceruinus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

ARGVMENTVM PRImi capitis Geneſeos.

DEVS ſex dierum ſpacio per verbum condidit cœlum, terram ac creaturas omnes, quibus hominem ad imaginem ſuam formatum præfecit, vt iis vteretur ac dominaretur.

OECONOMIA SEV DISPOſitio I. Cap.

Diſtinguitur hoc caput in

- Locos 4. præcipuos, quorũ [1. 2. 3. 4.] eſt de
  - 1. Deo, deq; S.S. Trinitatis myſterio.
  - 2. Creatione Mundi & rerum omniũ.
  - 3. Imagine Dei, ad quam in initio conditus eſt homo.
  - 4. Prouidentia.
- Et verſus 31. quorum
  - 10. generalis fit mentio creationis cœli & terræ.
  - Specialiter agitur de
    - 2. Terra & abyſſo.
    - 3. Luce.
    - 6. Firmamento ſiue cœlo.
    - 10. Appellationibus terræ & maris.
    - 14 Luminaribus, nempe Sole, Luna, deq; ſtellis.
    - 21. Piſcibus & volatilibus.
    - 24 Iumentis ſeu beſtijs terræ.
    - 26 Formatione hominis.
    - 29 Vi generandi homini diuinitus inſita, deq; eius dominio in reliquas ſibi ſubiectas creaturas.
    - 30. & 31. Prouidentia Dei de victu.

EXPOSITIO TEXTVS.

IN principio creauit Deus cœlum & terram) *Hîc Moſes breuiter commemorat, vt in initio, hoc eſt primo die creationis, cùm adhuc neq; tempus neque res vllæ eſſent, præter Deum æternum & immenſum, Mundus ſit conditus. Numerantur autem ab eo tempore quo cœpit mundus, anni 5545. vſq; ad hunc præſentem annum Chriſti 1583.*

Locus primus de Deo. *cuius deſcriptio traditur quòd ſit eſſentia ſpiritualis, æterna, ſapiens, libera, omnipotens, bona, verax & iuſta, quæ eſt Deus æternus Pater, qui ex ſua ſubſtantia dicendo ſeu cogitando, genuit filium cœternum, conſubſtantialem imaginem ſui: Et filius ab æterno à patre genitus* χαρακτὴρ καὶ ἀπαύγασμα τοῦ ἀϊδίου πατρὸς: *Et Spiritus ſanctus ab vtroq; procedens, fouens ac viuificans omnia. vel breuius: Deus eſt ſpiritus, vnus eſſentia, trinus perſonis, Pater, Filius & Spiritus ſanctus, qui cœlum & terram, & res omnes ex nihilo condidit, regit, ſuſtentat ac tuetur, quiq; in genere humano ad ſuæ imaginis ſimilitudinem condito, ſibi colligit in his terris eccleſiam, à qua in omni æternitate agnoſcatur & celebretur.*

Quod autem Deus ſit vnus & non plures, & nihilominus perſonarum pluritas ſit in vna diuina eſſentia, Moſes oſtendit, dum non modò trium perſonarum, Dei & verbi ſeu λόγου *ac Spiritus ſancti meminit, verùm etiam peculiari quadam phraſi vtitur inquiens* פראשית נרא אלהס Bereſith bara elohim, *quod ſonat, ſi latinè ad verbum reddas, in principio creauit Dij. In qua phraſi, cùm tres primæ literæ initiales duarum primarum vocum, quibus hiſtoriam ſuam orditur Moſes, nomina trium perſonarum diuinitatis, quæ ſunt,* בן

Be

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

Ben, *filius:* רוח Ruah, *ſpiritus,* אב Ab *pater, venuſtiſſimè complectantur: non dubium eſt myſterium S. S. trinitatis in ea latere: Cumq́; verbum ſingulare reſpondeat voci pluralis numeri, vtiq; ſignificatur, vnam quidem eſſe diuinam eſſentiam, ſed in ea plures perſonas. Vt enim Sol vnus eſt, in quo tamen tria conſiderantur & inſunt, corpus ſolis ſeu ipſa ſolis eſſentia, & lux ſeu fulgor, & inde procreatus calor: Ita tres illi, Pater, Filius & Spiritus ſanctus, ſunt quidem tres perſonæ, ſed vnus ſolus verus Deus. Vtq́; anima ſuas habet potentias, de quibus ſingulis prædicari poteſt, quod ſit anima, & nihilominus vna tantùm eſt anima, & non plures, licet plures eius ſint potentiæ: Sic Deus vnus quidem eſt quoad eſſentiam, ſed trinus in perſonis.*

Hanc Moſi phraſin interpretatur Iohannes Euangelij ſui 1. cap. inquiens, In principio erat verbum. & Paulus quoq; Coloſſ. 1. Tranſtulit nos in regnum filij ſui. & Heb: 1. Deus poſtremis temporibus locutus eſt patribus. Huc & alia referenda ſunt ſcripturæ teſtimonia, quæ euidentiſſimè probant, primùm, quòd Deus ſit vnus in eſſentia, & præter quem non ſit alius. Et ſunt hæc præcipua: Exodi 3. Dixit Dominus ad Moſen, Ego ſum qui ſum. Deut. 4. Quoniam Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter vnum. Item 6. cap. Audi Iſrael, Dominus DEVS noſter Deus vnus eſt. Et cap. 32. Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me. 2. Reg. 7. Magnificatus es Domine Deus quia non eſt ſimilis tui, neq; eſt Deus extra te, in omnibus quæ audiuimus auribus noſtris. 3. Reg: 8. Sciant omnes populi terræ quia Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt vltra abſq; eo.

Sap. 12. Non eſt alius Deus quam tu, cui cura eſt de omnibus, vt oſtendas quoniam non iniuſtè iudicas iudicium. Eſai: 37. Domine exercituum Deus Iſraël, qui ſedes ſuper Cherubin, tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ, tu feciſti cœ-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

lum & terram. Item 43. Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit, ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſq; me ſaluator. Item 44. Ego primus & ego nouiſſimus, & abſq; me non eſt Deus, quis ſimilis mei? Hæc dicit Dominus redemptor tuus, ego formator tuus ex vtero, ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cœlos ſolus, ſtabiliens terram & nullus mecum. Item 45. Ego Deus & non eſt amplius, extra me non eſt Deus, accinxi te & non cognouiſti me, vt ſciant hi qui ab ortu ſolis, & qui ab occidente quoniam abſq; me non eſt Deus, ego Dominus & non alter. Oſe: 13. Ego Dominus Deus tuus ex terra Aegypti, & Deum abſq; me neſcies, & ſaluator non eſt præter me. Tob. 8. Quia tu es Deus ſolus in vniuerſa terra. Item. 13. cap. Non eſt alius omnipotens Deus præter eum. Eccleſiaſtici 36. Nos cognouimus quoniam non eſt Deus præter te Domine. Ioh. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. 1. Cor. 8. Etſi ſunt qui dicantur Dij, ſiue in cœlo ſiue in terra, (ſiquidem ſunt Dij multi & Domini multi) nobis tamen eſt vnus Deus, pater ex quo omnia & nos in illum, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia & nos per ipſum. Item cap. 12. Diuiſiones gratiarum ſunt idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diuiſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Galat. 3. Mediator vnius non eſt, Deus autem vnus eſt. Epheſ. 4. Vnus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes & per omnia, & in omnibus nobis. 1. Timoth. 2. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.

Deinde quòd ſit trinus in perſonis hæc probant teſtimonia, primum, quæ in hoc volumine Moſi habentur. Geneſ. 1. Dixit Dij: Faciamus hominem in imagine NOSTRA, ſecundum ſimilitudinem NOSTRAM. Et cap. 19. Pluit

Dominus

Dominus à Domino ſulphur, Dominus Iehouah eſſentiale Dei nomen eſt, ſed bis repetitum perſonarum pluralitatem innuit. Alia enim eſt perſona pluens, alia à qua pluit. Deinde Pſal. 33. Verbo Domini cœli firmati ſunt & ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum.

Sed magis conſpicua ſunt teſtimonia de trinitate in nouo Teſtamento, Matth. 3. & Ioh. 1. Vbi mentio fit baptiſmi Chriſti, in quo tres perſonæ diuinitatis manifeſtantur. Similiter etiam in clarificatione Chriſti diſtinctè apparent, aſtat Filius qui baptizatur & transfiguratur, Spiritus ſanctus ſe reuelat, hîc in nube lucida, quæ eos obumbrauit. Matth. 17. Luc. 9. illic verò in ſpecie columbæ: Et vox Patris de cœlo & nube loquentis auditur, inquiens: Hic eſt filius meus dilectus. Deinde & Chriſtus ipſe probat, his verbis baptiſmum inſtituens Baptizate eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Et Paulus. 2. Cor. 13. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritus ſancti ſit cum omnibus vobis. Huc etiam referri debet teſtimonium valdè illuſtre, quod eſt 1. Ioh. 5. Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, verbum, (λόγος filius Dei Ioh. 1.) & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt, id eſt, ſunt vnus Deus, vel vna diuina eſſentia.

Hæc teſtimonia demonſtrationes ſunt, mathematicis apodixibus certiores, quorum declarationes Iuniores promant ex ſcriptis Lutheri, Philippi, Chytræi & aliorum.

De operibus primi diei.

In principio creauit Deus cœlum & terram) *Hic primus verſus generalem continet deſcriptionem creationis cœli & terræ, quæ primo die facta eſt materialiter & non formaliter. Informis enim & obſcura maſſa, & rudis indigeſtaq́; moles, primum condita fuit à Deo, vt eſſet futuri operis, nempe*

cœli & terræ aliarumq; creaturarum materia. Cui eodem die lumen quoddam additum eſt, quod circum terram agitabatur, vt dies appareret, & conſpiciendam præberet eandem rudem materiam cœli & terræ: Licet non tam clarum fuerit quàm Solis iubar poſtea creatum. Sic enim hæc verba exponit Lutherus, Chytræus. & alij.

Terra erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſsi.)

In hoc 2. verſu & ſequentibus, ſeorſim deſcribit Moſes opera creationis. Et primum dicit terram fuiſſe, Tohu va Bohu *ſeu vaſtam & vacuam, id eſt, rudem, incultam, deſolatam, nullis inſtructam & exornatam plantis, iumentis vel hominibus. Deinde materiam oſtendit ex qua cœlum poſtea factum eſt, nempe infinitam & inexhauſtam aquarum profundiſſimarum congeriem rudem, tenebricoſam, indigeſtam nec adhuc certa aliqua forma decoratam.*

Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas) *V e incubabat aquis, quibus terra immerſa erat, quæq; rudis fuerunt moles, ex qua illuſtrata & digeſta ac expolita, cœlum & terra cum Sole & Luna, & ſtellis & plantis & animantibus omnibus poſtea condita ſunt. In Hebræo eſt* מרהפת Merahepheth, *quod incubare ſignificat: Quemadmodum enim gallina incubat ouis quæ fouet & viuificat ſuo calore: Ita Spiritus ſanctus incubans aquis eas fouebat & viuificabat.*

Obſeruetur hîc illuſtre teſtimonium de Spiritu ſancto, qui eſt Deus, & ordine, tertia perſona diuinitatis, ὁμοούσιος *coëſſentialis & coæterna Patri & Filio, ab vtroq; procedens & omnia cum Patre & Filio creans, viuificans, fouens, gubernans & conſeruans; quæ mittitur à Patre & Filio, vt per verbi & Sacramentorum miniſterium ſit efficax in cordibus credentium, quos regenerat, ſanctificat, regit, conſolatur & ſaluat: Et eſt diſtincta à Patre & Filio perſona. Nam Deus*

Pater

Pater ordine prima perſona diuinitatis eſt æterna, immenſa à ſe ipſo & non ab alio quoquam exiſtens, quæ non creauit, ſed ab æterno genuit filium coæternum; à qua & à filio Spiritus ſanctus non creatur neq; gignitur, ſed ab æterno procedit: Et per eundem filium ſuum vnigenitum & in ipſo creauit & conſeruat omnia.

Filius verò ordine ſecunda perſona diuinitatis eſt, non creata ex nihilo, ſed à Patre ab æterno genita, eiq; conſubſtantialis coæterna & per omnia ſimilis, per quam omnia condita ſunt, & qui certo tempore aſſumpta humana natura natus eſt ex Maria virgine, & noſter Chriſtus, mediator, ſaluator & redemptor factus eſt.

Spiritum ſanctum eſſe Deum, & perſonam per ſe ſubſiſtentem, manifeſtè teſtantur, & nomina & res ſeu actiones Deo propriè competentes, quæ in ſequentibus teſtimonijs continentur ac ei tribuuntur: videlicet creare, regenerare, viuificare, reformare hominem, & reſtituere imaginem Dei amiſſam, edere miracula, docere & gubernare Eccleſiam. Pſal. 33. Verbo Domini cœli firmati ſunt, et ſpiritu oris eius omnis exercitus eorum. Pſal. 114. Emitte SPIRITVM *tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Ioh. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto. Item 6. cap. Sicut & 2. Cor. 3.* SPIRITVS *eſt qui viuificat. Et ibidem: Transferamur à gloria in gloriam tanquam à Spiritu Domini in eandem imaginem. Et Ioh. 16. Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. 2 Pet. 1.* SPIRITV *Sancto Dei ſancti Dei homines locuti ſunt. Iob. 33. Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum omnipotentis viuificauit me. Pſal. 139. Quò ibo à* SPIRITV *tuo, & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero ad cœlum, illic es, ſi in infernum deſcendero, ades. Sap. 1.* SPIRITVS *ſapientiæ, cordis ſcrutator, linguæ auditor.* SPIRITVS DOMINI *repleuit orbem terrarum, & continet*

omnia, & nouit omnia, cogitationes & ſermones. Et 2. Samuel. 23. Spiritus DOMINI locutus eſt per me & ſermo eius per linguam meam. Dixit DEVS Iſraël, fortis Iſraël locutus eſt mihi. Hic Scriptura manifeſtè vocat Spiritum Sanctum DEVM ac DOMINVM. Act. 5. Paulus quoq; vocat eum DEVM, cum ait Ananiæ: Cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? non mentitus es hominibus ſed Deo. Et 1. Cor. 2. Dicit eum eſſe Spiritum ex Deo, hoc eſt, ex Dei ſubſtantia. Et 1. Cor. 3. An neſcitis (inquit) quod templum Dei eſtis, & Spiritus ſanctus habitat in vobis. 1. Cor. 6. An neſcitis quod corpora veſtra ſint templa Spiritus ſancti? glorificate igitur DEVM in corpore veſtro. Et ſicut Thomas Chriſtum vocat DOMINVM ſuum & DEVM ſuum, Ioh. 20. Ita Paulus quoq; has eaſdem appellationes Spiritui ſancto tribuit, 1. Cor. 12. Vbi inquit, Nemo poteſt dicere dominum Ieſum, niſi per ſpiritum ſanctum. Diuiſiones autem gratiarum ſunt, idem verò SPIRITVS, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem DOMINVS, & diuiſiones operationum ſunt, idem verò DEVS, qui operatur omnia in omnibus. Et Heb. 9. Spiritus æternus dicitur. Et Chriſtus ipſe affirmat Spiritum ſanctum eſſe alium à Patre, & ab eo diſtinctam perſonam, Ioh. 14. Rogabo Patrem et alium Paracletum dabit vobis, SPIRITVM veritatis; Et 1. Ioh. 5. Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & SPIRITVS, & hi tres vnum ſunt.

Hanc perſonarum diſtinctionem luculenter oſtendit apparitio Spiritus ſancti in Baptiſmo Chriſti peculiari forma in ſpecie columbæ alas pendentis ſuper Chriſtum filium Dei, de quo vox audita eſt: Hic eſt filius meus dilectus. Et formula baptiſmi noſtri à Chriſto tradita, iubente homines baptizari in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.

Dixit DEVS fiat lux) In hoc tertio verſu lucis

mentio-

mentionem facit, quæ etiam primo die creata eſt verbo Dei, ſeu λόγῳ filio Dei, qui eſt ſecunda perſona diuinitatis, genita cogitatione Patris de ipſius ſubſtantia ab æterno, et eſt ſubſtantialis & integra Patris imago, vel ἀπαύγασμα ſeu ſplendor lucis paternæ, per quem res omnes condidit, & Euangelium de redemptione & ſalute generis humani immediatè reuelauit, qui filius naturam humanam induit & cum diuina natura ſua nexu firmiſsimo & indiſsolubili copulauit, vt noſter eſſet mediator & redemptor, & nobis imaginem Dei ad quam conditi eramus; hoc eſt, veram lucem, iuſticiam, læticiam & vitam æternam, aliaq; innumera bona reſtitueret. Dicitur autem λόγος, non ſolũ reſpectu Patris, cuius eſt imago, à mente ipſius ab æterno ſine paſsione genita, ſicut ſermo cogitationum mentis noſtræ imago eſt, verum etiam reſpectu hominum, quibus tanquam orator ἐξαγγελτικος, vt à Nazianzeno dicitur, ſuum euangelium ſeu arcanum illud conſilium de redemptione generis humani ex ſinu patris prolatum reuelauit: et cum quibus etiam olim locutus eſt, & adhuc loquitur & efficax eſt per miniſterium verbi et Sacramentorũ, quod conſeruat: Et in quibus vitam et lucem veræ agnitionis quam in prima conditione illis impertiuit, & qua Deum agnoſcebant, eiq; perfectè in omnibus actionibus obediebant diſpulſis tenebris rurſus inſtaurat quiq; per Spiritum ſanctum corda eorum viuificat, in quibus etiam conſolationem dicit et læticiam ac inuocationem accendit.

Lucem quam hîc Moſes dicit primo die conditam, conſentaneum eſt ſuo motu circulari, quo circumferebatur, diſcrimen feciſſe diei & noctis, vſq; ad quartum diem quo Sol conditus fuit & lumine ſplendidiore & clariore, quam fuit illa rudis & craſſa lucis maſſa. Hæc eſt Lutheri ſententia ſacris literis conſona, quæ teſtatur Deum nouiſsimo die hodiernum lumen ſolis, ceu malignum lumen reſpectu futuræ claritatis, ſplendidius & clarius facturum eſſe, Eſa: 66. Vt mirum

non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

non ſit, ſi lux illa primo die creata ad hoc præſens ſolis iubar collata, rudis fuerit. Huc quæ de natura lucis à Phyſicis traduntur referenda ſunt.

Eſt autem varia acceptio vocabuli lucis. aliàs enim cœli, ſolis, ſtellarum, ignis, äeris, aquæ lumen: aliàs flammulam lucidam in oculis: aliàs mentis lumen ſignificat. Et vſitatiſsimè in ſacris ſumitur pro verbo Dei & vera Dei noticia, conſolatione, vita, liberatione ex morte & calamitatibus, & pro optimis quibusq; rebus: Sicut è diuerſo tenebræ ignorationem Dei peccatum, mortem & mala quæq; triſtiſsima ſignificant. Et quia Deus autor & fons lucis eſt, & filius Dei λόγος, ἀπαύγασμα & ſplendor eſt lucis paternæ, ideo vocabula lucis & luminis ſæpiſsimè & rectiſsimè ac proprijſsimè, tum ipſi Deo Patri in Scriptura tribuuntur, tum etiam Filio Dei, qui verè & natura Deus eſt. Id quod ſequentibus teſtimonijs probatur, quæ ſemper in conſpectu habere prodeſt. Pſal. 2. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hodie, id eſt, ab æterno ſine vllo temporis principio et fine: quia in Deo nullum eſt tempus ſed æternitas. Eſa. 45. Te adorabunt, te deprecabuntur, tantùm in te eſt DEVS, & abſq; te non eſt Deus, qui verè es DEVS abſconditus, DEVS Iſraël ſaluator. Hæc eſt ipſius Patris vox de Filio. Et Eſa: 48. ipſe de ſe loquitur Chriſtus in perſona Prophetæ. Accedite ad me & audite hoc, non in principio in abſcondito locutus ſum, ex tempore antequam fieret ibi eram & nunc DOMINVS DEVS miſit me & SPIRITVS eius. Prouerb. 8. Sapientia quæ eſt ipſe Dei Patris æterni Filius æternus, dicit ſe ab initio ab æterno fuiſse cum Deo, per ſe omnia condita. 1. Cor. 1. Sicut et Ioh. 1. illud dictum repetitur, Per ipſum omnia facta. &c. Et Mich. 5. Egreſſus eius ab initio & à diebus ſeculi, id eſt, ab æterno. Ierem. 23. Et hoc eſt nomen eius quod uocabunt eum Iehouah, DOMINVS iuſtiticia noſtra. 1. Cor. 1. Matt. 16. Tu es Chriſtus filius Dei viui.

Ioh. 1.

Ioh. 1. In principio erat verbum etc. & omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt, & DEVS erat verbum. Ioh. 20. DOMINVS (Iehouah) meus & DEVS meus. Ita paſſim in Scriptura nomen IEHOVAH Chriſto tribuitur, quod eſſentiale Dei nomen eſt, et ſoli Deo competit. Rom. 9. Chriſtus ex patribus ſecundum carnem, qui eſt Deus benedictus in ſecula. 1. Ioh. 5. Vt ſimus in vero Filio eius Ieſu Chriſto; Hic eſt verus Deus & vita æterna. Probatur hoc ipſum argumentis ex ſcriptura ſola petitis. Primùm, ex operibus creationis, conſeruationis, viuificationis quæ Filio tribuuntur, & ſolius Dei ſunt. Pſal. 33. Verbo Dei cœli firmati ſunt. Ioh. 1. & 5. Omnia per ipſum facta. Deinde ex cultu qui debetur Chriſto, tanquam ſoli Deo iuxta illud: DOMINVM DEVM tuum adorabis & illi ſoli ſeruies. Deut. 6. Matth. 4. Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient illi, Eſ. 11. Omnes gentes deprecabuntur eum, adorent eum omnes angeli Dei, Heb. 1. Pſal. 71. Tertiò, miraculis in Eccleſia omnibus temporibus per ipſum factis, Ioh. 1. Eductione populi ſui ex ſeruitute Ægyptiaca, & multis alijs, quæ continentur in veteri & nouo teſtamento.

Et vidit DEVS lucem quod eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris, appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem. Factumq; eſt veſpere & mane dies vnus) *Dies vnus, .i. primus. Definitiones & diuiſiones Dierum & noctium, eorumq; diſcrimina, ex Mathematicorum libris ſunt petenda. Huc vſq; deſcriptio creationis operum primi diei.*

Locus ſecundus *præcipuus in hoc capite obſeruetur de Creatione cœli & terræ & omnium rerum, quæ eſt primum Dei opus, in quo ſe patefacere, & ſuam omnipotentiam, bonitatem & ſapientiam lucere & conſpici voluit.*

De operibus Secundi diei.

Dixit quoq; DEVS: fiat firmamentum in me-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

dio aquarum, & diuidat aquas ab aquis) *Hic ſextus verſus deſcriptionem firmamenti ſiue cœli continet, qua appellatione tota æthera regio & omnes orbes ac ſpheræ Planetarum & ſtellarum fixarum ſignificantur, quarum numerum, magnitudines, figuras, interualla, diſtantias & motus Aſtronomi docent. Vocabulum hebræum* רקיע Rakia, *quod à continuatione, extenſione & firmitudine nomen accepit, & expanſum quiddam ſeu extenſum inſtar vtris ſeu veſicæ aëre inflato extenſæ, & firmiter ſtabilitum ſignificat. Latini rectè firmamentum verterunt, quia licet nihil aqua ſit mollius & fluidius, tamen ita DEVS firmauit illam extenſionem, vt quouis ære ac adamante ſit durabilior, nec motus pernicitate conſumatur. Cœlum (quod vel à cauitate nomen accepit, eò quòd* κοιλον, *hæ concauum ſit, vel à celando, id eſt occultando, quòd totam illam partem, quæ ſupra elementum ignis eſt, quam Philoſophi æthera,* ἀπὸ τοῦ αἴθειν, *.i. flagrando & ſplendendo appellant, complectens, omnia inferiora celet ac tegat: vel à ſtellarum imagine, quæ in eo quodammodo cælatæ apparent, vt ob impreſſa ſtellarum lumina cœlum quaſi cælatum nuncupetur) Hebræis* שמים Schamaim *ab aquis dicitur, eò quòd ex aqua & per aquam verbo Dei ſit conflatum cœlum. Græcis* οὐρανος, *quaſi* ὁρανος, *quòd ſit viſui peruium & minimè denſum, vt eſt aqua & terra,* ἀπὸ τοῦ ἄνω ὁρᾶν, *.i. ſurſum aſpiciendo. Quæ vox affinitatem habet cum hominis appellatione, qui Græcis* ἄνθρωπος *dicitur, quaſi* ἄνω τρέπων, *id eſt, ſurſum vergens, vel quaſi* ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε *contemplans ea quæ videt. Ideo enim Deus hominem præ reliquis creaturis præſtantiſſimum creauit ad imaginem ſuam, & rationis participem fecit; vt hoc pulcherrimum theatrum & rerum naturam intuens ac conſiderans, Deum conditorem agnoſcat & celebret.*

Pronaq; cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumq; videre

Iuſſit

Iuſsit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Quales ſint aquæ ſupra cœlos (quarum hîc, et Pſal. 103. & in cantico trium puerorum, Daniel. 3. fit mentio) & cui vſui ſeruiant? cùm ad cœlum, in quo Deus habitat cum angelis & beatis ſeu ad cœleſtem Academiam peruentũ fuerit, videbimus. Etſi autem multi ſunt in ea opinione, cœlum glaciale (ſic enim aquas iſtas ſupra firmamentum vocant) à Deo ideo conditum eſſe, vt inferiores orbes quaſi refrigeret & humectet, ne pernicitate motus & nimio ardore conſumantur; tamen eorum ſententia & interpretatio nullo videtur niti ſolido fundamento.

Dixit verò DEVS, congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum vnum, & appareat arida, & factum eſt ita: Et vocauit Deus aridam terram, congregationesq́ aquarum appellauit maria.)

In hoc 10. verſu continentur appellationes terræ & maris. Eſt autem Terra elementum frigidum & ſicciſsimum, ſua grauitate reliqua omnia excedens, & infimum inter ea locum tenens. Hebræis ארץ *erez, à currendo,* רוץ *Roz enim currere, celeritter vel promptè accurrere cum inclinatione & propenſione quadam ſe alicui accommodare, ſic dicta quòd homines in ea currentes ſuſtentet, eorum pedibus ſubiecta. Vnde & Latinis terra, à terendo appellationem ſortita eſt, quòd in media (vt Cicero ait) mundi ſede locata, & ſolida ac globoſa, & vndiquaq́; nutibus ſuis conglobata, floribusq́; veſtita, pedibus hominum & iumentorum teratur. A Græcis* γῆ *nuncupatur,* ἀπὸ τοῦ γεῖν, *qaod inter alia, capere, complecti, locum præbere, et interdum etiam* γύνειν *hoc eſt, generare & in lucem edere ſignificat, eo quòd naſcentes homines (vt Pliniÿ verbis vtar) excipiat, natos alat, ſemel editos ſuſtentet & ſemper nouiſsime complexa gremio, ab reliqua natura abdicatos, tum maximè vt mater homines operiat, vnde maternæ venerationis cognomentum adepta eſt.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

Congregationes aquarum appellauit maria)
Mare ab amaro et ſalſo ſapore nomen accepit. Conferatur autem et ad hanc partem operis tertij diei explicandam & ad reliquas aliorum operum partes, de quibus poſtea audiemus illuſtrandas, tota doctrina Geographica & Coſmographica, quæ certiſsimis Mathematicorum apodixibus veluti fundamento ſubnixa, deſcriptionem Mundi tradit, conſtantis ex 4 elementis, Terra, Aqua, Aëre & igni, & Sole, Luna reliquiſq; cœli ſideribus, adeoq; rebus omnibus, quæ cœli circumflexu teguntur: quaq; ex circulorum, quibus illam ſupercœleſtem machinam conſtare imaginamur, contemplatione & diſtinctione, terrarum illis ſubiectarum ſitus, & locorum diſtantias certa quadam συμμετρίᾳ & commenſuratione inueſtigamus: & rationem quoq; Climatum, & dierum noctiumq; differentias, & 4. Mundi cardines; Siderum item mobilium pariter ac immobilium curſus, ortus & occaſus, aliaq; multa ad cœli rationem pertinentia inquirimus. Quæ omnia & ſingula conſiderare iucundum eſt, & ſuum in vita vſum habet vel maximum.

Primùm igitur cœlum eſt aſpiciendum, in quo ſunt Sol & Luna, quæ luminaria magna vocat Moſes, de quibus poſtea, & reliqui Planetæ, Saturnus, Iupiter, Mars & Venus, quæ aliàs φωσφορὸς *& Lucifer, cùm Solem præcedit: aliàs Heſperus, cùm eundem ſequitur. Deinde ſtellæ fixæ inerrantes, à veteribus Aſtrologis magna cura & mirabili ſolertia obſeruatæ numero 1022. & in imagines 48. (quas alij* ἀστερισμοὺς καὶ σχήματα, *alij* ζώδια, *nonnulli ſidera & ſigna, aliqui* μορφώσεις, *vulgo conſtellationes vocant) collectas & digeſtas conformarunt: Et ex rerum vel figurarum notarum ſimilitudine illis congruentia nomina impoſuerunt, vt ſigillatim diſtinguerentur ac denotarentur, meliusq; in tanta multitudine et diuerſitate rudioribus innoteſcerent; ijs exceptis quæ circa Notium Mundi verticem perpetuo hactenus delituerunt. Diſtin-*

guuntur

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

guuntur autem eædem imagines ſeu ſigna, ſitu, in ſeptentrionalia, meridionalia & zodiaci. Septentrionalia, quæ ab Eccliptica in Boream vergunt, ſunt 21. nempe:

1. ἄρκτος ſiue vrſa minor, quæ Cynoſura dicitur, ſtellas complectens 7. quarum quæ polo propinqua eſt, Polaris dicitur.

2. ἄρκτος μεγάλη, ἢ ἑλίκη, Latinè vrſa maior ſiue Helice. Vtraſq; à 7. ſtellarum numero Septentriones, item Hamaxas, id eſt, currus & plauſtra vocant.

3. Draco vel Anguis ſeu Serpens, ſtellis inſignitus 31.

4. Cepheus, ſtellas 12. habet.

5. Bootes, 12. ſtellas habet, & Arctophylax dicitur, in quo rutilat clarum Arcturi ſidus, ſuo ortu Autumnum inchoans.

6. Corona borealis, Ariadnea.

7. Engonaſis, 28. ſtellarum.

8. Lyra. recentiores Vulturem cadentem vocant, continet 10. ſtellas, quarum quæ in ore aut teſta fulget, peculiariter Lyra vocatur.

9. Olor, auis, Gallina, vel Cygnus. 17. ſtell.

10. Caßiopeia.

11. Perſeus, tenens manu ſin ſtra amputatum Gorgones Meduſæ caput.

12. Auriga, ἡνίοχος, in cuius humero conſpicitur clarum Capellæ aſtrum, & in brachio minores Hœdi. habet ſtellas 14.

13. Serpentarius, ὀφιοῦχος, anguiſer, 24. ſtell.

14. Serpens Ophiuchi, anguis, habet 18. ſtell.

15. Sagitta. 8. ſtellarum.

16. Aquila. Recentioribus vultur volans, 9. ſtellarum.

17. Delphin, 10. ſtellarum.

18. Equus prior vel Aqualiculus ſeu Hinnulus, aliàs ſectio ſeu præciſio equi dicitur.

19. Equus alatus, Pegaſus, ſtellas habet 20. inſigniores, 4. trapezij figuram referentes.

20. Andromeda, ſtell. 23.

21. Triangulus, à græcæ literæ ſimilitudine Δελτωτὸν, id eſt, trigonum.

Hæc quæ ſequuntur Zodiaci ſigna ſunt.

22. Aries.

23. Taurus, eſt 32. ſtellarum, quarum 5. oris & faciei effigiem referentes, Hyades Græcè, Latinè ſucculæ nuncupantur: Inter quas maxima, quæ eſt in oculo auſtrino, Græcis λαμπαδίας, Romanis Palilicium dicta eſt. In collo Pleiades ſeu Vergiliæ ſunt, ad æſtatis initium exorientes.

24. Gemini, 18. ſtellarum.

25. Cancer, obſcurum ſidus, Præſepe et Aſellos, aſtra vix conſpicua, pectore geſtans. Eſt 9. ſtellarum, inter quas Præſepe, φάτνη, nebula in pectore eſt, & Aſelli duo, Borealis & Notius.

26. Leo, eſt 27. ſtellarum, lucido fulgore rutilans, inter quas duæ præ cæteris inſigniores ſunt, vna in corde Βασιλισκος ſeu Regulus, altera in cauda.

27. Virgo, Erigone, Ceres & Aſtrea dicta, ſtellas habet 26. quarum quæ præ reliquis inſignis in manu dextera eſt, ςαχὺς, id eſt, Spica & vindemiatrix dicitur, quòd vindemiæ tempore exoriatur; altera in ala boreali προτρυγήτης, latinè Præuindemiatrix.

28. Libra, χηλαί.

29. Scorpius, à quibuſdam Nepa, ſtellis formatur 21. inſignioribus, quarum lucidior in pectore ἀντάρης Antares, & COR Scorpij vocatur.

30. Sagittarius, 31. ſtell.

31. Capricornus αἰγόκερος, 28. ſtell.

32. Aquarius, ὑδρειόχοος. 24. ſtellarum.

33. Piſces duo, alter Notius ſiue meridionalis, alter Septentrionalis, lino connexi longiuſculo. 34. ſtellarum.

Signa

Signa verò auſtralia cœli, ſunt hæc quæ ſequuntur.

34. *Cetus, quem & Piſtricem vocant. 22. ſtell.*

35. *ORION, inter omnia cœli ſidera lucida & inſigniter clara configuratio. 38. ſtellarum.*

36. *Eridanus fluuius, cuius poſterior ſtella præ reliquis inſignis eſt, ποταμος dicta. 34. ſtellas habet.*

37. *Lepus ante canem ſub pedibus Orionis fugienti ſimilis 12. ſtellarum.*

38. *Canis maior, Canicula, ſplendidiſsimam in ore ſtellam oſtentans, quæ propriè Sirius dicitur. 18. ſtellarum.*

39. *Canis minor, προκύων, Antecanis dicta, quia ante maiorem Canem oritur, duarum ſtellarum eſt.*

40. *Ἀργὼ, Argo nauis, ampla configuratio, ſtellas habet complures, inter quas toto cœlo lucidiſsima Canopus fertur, Ægypto conſpicua, Europæ perpetuo latens.*

41. *Hydra ſiue Anguis, cui Coruus inſidet & Crater impoſitus eſt, ſtell. 25.*

42. *Crater ſiue Patera. 7. ſtell.*

43. *Coruus. 7. ſtell.*

44. *Centaurus, Chiron. 37. ſtell.*

45. *Fera, Θήριον ſeu beſtia quam tenet Centaurus. hanc Lupum nominant, 19. ſtell.*

46. *Ara ſeu Thuribulum. 7. ſtellarum.*

47. *Corona Auſtralis. 13. ſtell.*

48. *Piſcis Notius ſeu Auſtrinus, ab Aquario effuſam aquam recipiens.*

Hæ ſunt 48. imagines ſeu ſigna cœleſtia; quæ his verſibus memoriæ gratia complexus eſt Honterus:

Ad boream geminas ingens Draco diuidit Arctos,
Hinc ſubit Arctophylax, paritérq; Corona, Lyraq́;

Proxi-

Proximus Engonaſis, poſt hunc Ophiuchus, & Anguis,
Mox Aquila, & Telum, ſurgunt & lactea Cygni
Sidera, Pegaſus hunc ſequitur, Delphina ſimulq́;
Andromeda, Cepheusq́; & Caſsiopeia parentes,
Armatusq́; gener Perſeus, circum ora Meduſæ
Horrida, Deltoton ſimul Heniochusq́; feruntur.
Hinc Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraq́;, Scorpius, Arcitenens, Caper, Hydria, Piſces.
Cetus & Eridanus, poſt hæc vertuntur ad auſtrum,
Orionq́; premens Leporem, Procyonq́; refulgens,
Inde Canis maior, ſtellataq́; cernitur Argo
Perq́; trium loca ſignorum ſe porrigit Hydra
Craterem dorſo geſtans, Coruumq́; loquacem,
Hîc Fera Centauro reſupina tenetur, & vltra
Thuribulum, notiæ Piſcis fugit aſtra Coronæ.

Deinde etiam Terra luſtranda eſt, quæ diſtinguitur in Regiones, Principatus, Ducatus, Comitatus & Prouincias, cuiuſmodi ſunt, Germania, Dania, Noruegia, Suecia, Italia, Gallia, Anglia, Scotia, Hollandia, Brabantia, Saxonia, etc. Et ciuitates, vt ſunt, Roma, Lutecia, Baſilea, Colonia, Antuerpia, Louanium, Roſtochium, Hamburgum, Lubeca, Hafnia, Lunda, Asloia, Nidroſia, etc. In quibus viſuntur aquæ, Stagna, Fontes, Thermæ & fluuij, vt Albis, Boryſthenes, Danubius, Rhenus, Vernouius, Moenus, Moſa Belgicæ, & Moſa fluius Noruegiæ in prouincia Hedmarchiana, Rhodanus, Viſurgis. & alij. Quibus inſunt aquatilia ſeu piſces: Anguilla, Arenga, Araca, Aſchia, Balæna, Barba, Carbus, Carpio, Cetus, Congrus, Ezox, Gobius, Lampetra, Salmo, Praſinus, Ruburnus, Borboca, Aloſa, Orca, Raia ſeu Rochus, Plateſsa, Scombrus, Salpa, Squillus, Aſtacus.

In terra etiam conſiderandæ ſunt arbores ac frutices: Abies, Pinus, Caſtanea, Ceraſus, Labruſca, Olea, Prunus,

Spinus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

Spinus, Morus, Pomus, Pyrus, Fagus, Corylus, Cupreſſus, Ficus, Perſicus, Populus, Salix, Sambucus, Taxus, Tilia, Vlmus, Erica, Larix, Oxyacantha ſeu Criſpina &c. Item Herbæ: Abrotanum, Abſynthium, Achantus, Aconitum, Amomum, Amaracus, Aniſum, Apium, Aſparagus, Beta, Bugloſſa, Bulbus, Cataputia, Chelidonium, Cichoreum, Cucurbita, Eupatorium, Feniculum, Heliotropium, Hyacinthus, Lactuca, Menta, Nigella, Pentaphyllum, Sanicula, Trifolium, Verbana, Vuularia, Zanthum &c. Ac frumenta leguminaq;: Auena, Faba, Milium, Oryza, Piſum, Hordeum, Siligo, Triticum. Item metalla & lapides. Aurum, Argentum, Cuprum, Orichalcum, Stannum, Plumbum, Ferrum, Alumen, Sulphur, Chalcantum, Marmor, Magnes, Gemma, Margaritum, Cryſtallus, Adamas, Gagates, Corallium, Berillus, Smaragdus, Rubinus, Granatus, Carbunculus, Hæmatites, Pumex &c. Animalia quoq; quadrupeda: Agnus, Aper, Aries, Bos, Bubulus, Burdo, Camelus, Cantherius, Caſtor, Cercopithecus, Elephas, Equus, Mannulus, Erinacius, Felis, Fiber, Hinnulus, Ibex, Lepus, Lupus, Lutra, Lynx, Martes, Melis, Muſtella, Sciurus, Veruex, Vrſus, Vulpes, &c. Et Reptilia cùm vermibus & inſectis: Apes, Araneus, Blatta, Bombex, Brucus, Cantharis, Cimex, Coſſus, Crabro, Culex, Draco, Formica, Fucus, Grillus, Gurgulio, Hirudo, Limax, Phalanx, Papilio, Salamandra, Scarabeus, Scolopendra, Amphisbena, Tinea, Teſtudo, Veſpa.

Poſtremò etiam quæ ſunt aëriæ naturæ, vt Volatilia ſeu aues: Accipiter, Achantis, Anas, Aquila, Ardea, Alauda, Coturnix, Capus, Bubo, Nycticorax, Curruca, Ficedula, Perdix, Lucina, Merops, Niſus, Pauo, Picus, Pica, Trochilus, Pelicanus, Pſitacus, Turdela, Sturnus, Sincedula. &c.

De Operibus Tertij Diei.

Germinet terra herbam virentem.) *Deſcriptio*

E *eſt*

eſt creationis operum tertij diei, nempe, plantarum, herbarum, fructuum, florum, leguminum, & aliarum rerum terra naſcentium, quibus veſtitur & pulcherrimè ornatur terra, & hominibus ac iumentis victum ſuppeditat: Quarum generatio, illuſtris etiam typus eſt glorioſæ reſurrectionis noſtrorum corporum, in ſupremo vere, id eſt, extremo die iudicij.

Hic quæſtio agitari ſolet, quo tempore anni Mundus ſit creatus, vere ne an autumno? *Etſi autem quidam exiſtimant, Mundum conditum eſſe tempore autumni, eò quod primi parentes Adam & Eua pomis & fructibus veſcebantur: tamen hic nihil certi affirmari poteſt, cùm non modò fructuum mentio fiat in textu, quos autumnus producere ſolet, verùm etiam generationis, quæ veris eſt propria. Sed Lutherus & alij multi in hanc inclinant ſententiam, veris id tempus fuiſſe quo Mundus cœpit, quia tunc terra aperitur & reſoluitur ac omnia reuiuiſcunt, & eſt formoſiſſimus annus.*

Vnde & Iudei ſuum annum & primum menſem à tempore veris ordiuntur. Fuit autem prima creatio prorſus miraculoſa, qua germinationem terræ, flores & fructus arborum illico ſubſecuti ſunt. Et conſentaneum eſt terram, quæ tota nil niſi Paradiſus fuit, ob primæ creationis benedictionem, omnes arbores, frutices & herbas frugiferas, & vſibus hominum aptas, nec vllas ſteriles produxiſſe: Sed poſtea propter peccatum maledicta, ſentes, ſpinas, paliuros, & multas ſteriles herbas protulit.

De operibus quarti diei.

Dixit autem DEVS, fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora & dies ac annos, vt luceant in firmamento cœli & illuminent terram, & factum eſt ita.) *Hic eſt 14. verſus continens deſcriptionem creationis Stellarum, præcipuè Luminarium, nempe ſolis*

&

& lunæ; quæ præterquam quòd diſcrimina diei & noctis, laboris & quietis, ſtatas vices 4. anni temporum, veris, æſtatis, Autumni & hyemis conſtituunt, aliasq; temporum diſtinctiones in certos dies Faſtos & Nefaſtos, menſes, annos, reliquaq; ſpacia, ſignificata vocabulo Hebræo מוֹעֵד Moed. quorum obſeruatio neceſſaria eſt in Eccleſia, vt Mundi initia, Religionum exordia, diuinarum patefactionum ſeriem, collectæ & inſtauratæ Eccleſiæ tempora & Imperiorum mutationes notare poſſimus. Etiam ſigna & cauſæ exiſtunt caloris, frigoris, pluuiarum, imbrium & tempeſtatum, quas ortu ſuo & occaſu ac cœli mediatione excitant.

Præterea etiam iram vindictamq; diuinam & pœnas imminentes, ſuis deliquijs, obſcurationibus, & ſtupendis cùm reliquis Planetis congreſſibus & oppoſitionibus alijsq; configurationibus denotant & denunciant.

Hunc textum illuſtrat Mathematicorum doctrina de ſyderum motu & effectu in elementis & rebus ijs quæ conſtant ex Elementis. Cuiuſmodi ſunt tempeſtates ſeu mutationes aëris & res inde conſequentes, videlicet ſalubritas aëris, cœliq; clementia vel contagio, & annonæ copia vel penuria. Item principia & mutationes Imperiorum atq; vrbium: in quibus conſiderantur Pax, Bellum, Sectæ, Religiones & Regum heroum ac Principum res geſtæ gerendæue: Item de priuata cuiuſq; fortuna & ſtatu, alijſq; rebus, quarum in genethliacis & electionibus temporum habetur ratio.

Etſi autem hanc doctrinam de effectibus ſiderum pleriq; contemnunt, quod Aſtrologorum iudicia ſæpè fallant, præſertim ea quæ de ſtatu orbis terrarum à magnis coniunctionibus, quæq; de aëria conſtitutione, ex ſolis & lunæ & reliquarum ſtellarum congreſſibus & configurationibus ſumuntur: quorum pleraq;, pauca habent, ne dicam nulla verè vniuerſalia, quæ totum terrarum orbem peruagari ſoleant: Experientia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

namq; probat tempeſtatum rationem, vt reliqua ſileam, non magnis locorum interuallis mirabiliter variare: Tamen minimè contemnendam eſſe iudico. Non enim omninò nullum eſſe effectum aut euentum ſtellarum conſtat, præſertim cùm tot experimentis, iiſq; quotidianis ferè, tum in ipſa valetudine animiq; affectione, tum etiam in commodis aut incommodis externarum rerum, vis ſiderum appareat apud omnes, & potiſsimum eos, qui ſui horoſcopi & aliorum ſignificatorum progreſsiones diligenter & accuratè obſeruant.

Nam licet haud omnia ex cœli ſideribus, etiam diligentiſsimè obſeruatis, & maxima adhibita cura prudentiaq;, cognoſci & certò euentura prænunciari poſſunt, nec ſecundum Aſtrologorum prædictiones ſemper eueniunt, propter materiæ inconſtantiam & fluxibilitatem, aliarumq; plurium cauſarum impedimenta: nihilominus tamen multa, ſi non certò, at probabiliter de rebus futuris iudicari poſſunt. Ac ſi rem æqua lance æſtimemus; nihil impietatis habet hæc ſcientia, ſi rectè tractetur, ita vt Phyſicæ limites non egrediatur. Siquidem conſideratio curſus illius rati ac perpetui & virium atq; conſtantiæ effectionum in huius inferioris Mundi corporibus, ad ſummam Diuinæ Maieſtatis, tantarum rerum creatricis reuerentiam cultum & amorem homines excitat. vt, verbi gratia, cum cœlum contemplor & quamlibet in eo ſtellam, quæ ſub oculorum aſpectum cadit, hoc terreno globo, cui inſiſtimus, (ſola luna excepta, quæ vna quadrageſima pars terræ eſt) maiorem eſſe deprehendimus: compertum eſt enim Solem centies ſexagies ſexies terra maiorem eſſe: Saturnum 91. Iouem 95. terram excedere: Cumq; reputo quàm exigua ſit ſolis & ſtellarum particula ad totius cœli ambitum & circumferentiam immenſam collata; etiam ſubit animum hæc cogitatio, quàm potens, quàm ſapiens, quàm bonus ſit Deus, qui totum hoc Mundi theatrum ampliſsimum & ſplendidiſsi-

didiſsi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

didiſſimum ex nihilo condidit, conſeruat, regit & ſuſtentat. Nec ſolùm ad Deum cognoſcendum, amandum & colendum inuitat hæc ſcientia, dum ex conſideratione potentiæ, ſapientiæ & bonitatis & aliarum virtutum, quæ in eius operibus lucent, reuerentiam erga ipſum, admirationem & amorem in nobis excitat, verùm etiam ad alia multa, præcipuè verò ciuilis vitæ officia & commoditates plurimum conducit. Et nil impietatis habet ſi quis modo non deprauatus illa dextrè ac ſobrie vtatur. Nam vt de publicis dicam, proſpicere impendentem annonæ caritatem, bella præuidere & maturè parare ſe ad defenſionem, vel de pacificatione cogitare, & in peſtilentiæ quoq; ſignificationibus, certa diæta & victus ac medicamentorum ratione valetudini conſulere; vel de ſede mutanda (ſi licitum eſt) cogitare, nonne longè vtiliſſimum eſt magiſtratibus ac ſubditis. Præter has iam dictas vtilitates, vtraq; ars tam ea, quæ cœlum cœliq; motus numerat ac menſurat, quàm quæ ſiderum effectus ſcrutatur: etiam confert ad Poëtas intelligendos, ad vrbium & locorum diſtantias inueſtigandas, ad fœlicem nauigationem, ad arationem & ſationem, reliquaq; ruris opera & ad annorum menſium & dierum rationem inprimis. Prodeſt igitur Theologis, quibus temporis ratio & præcipuè Feſtorum obſeruatio curæ eſſe debet. Deinde vtilis eſt Medicis, vt tempus ſciant Phlebotomiæ, exhibendorum ac purgandorum corporum, ſecundum aſtrorum, præſertim lunæ ſolisq; curſum. Tertiò prodeſt Geographis & Coſmographis in deſcriptione Regionum Vrbium & Climatum & aliarum rerum. Quartò agricolis, vt temporibus idoneis culturæ agrorum vacent. Quintò prodeſt nauigantibus, vt non modo ſciant, quo pacto ad Cynoſuram dirigenda ſit prora, verùm etiam fluxus & refluxus maris tempora accuratius obſeruent, & tempeſtates ac mutationes aërias futuras præuideant, quæ partim ex ſtellarum ortibus & occaſibus, partim etiam ex

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

tranſitu planetarum per ſigna humida vel ſicca, & ex congreſsibus ac aſpectibus eorundem ad ſe inuicem, & ad ſtellas fixas, ex locis item Eclipſium & ex cometis quoq; dependent. Poſtremo etiam architectis ſuum præſtat vſum vt tempeſtiuè ſtructuræ dent operam.

Hinc manifeſtum eſt eos vehementer hallucinari, qui Aſtrologiam (nam de Aſtronomia non ita controuertitur) iudicio non ſatis maturo funditus damnant & criminantur, non aliam ob cauſam, quàm quod coniecturis quibuſdam aliqua ex parte nitatur. Nam tametſi nemo ſanæ mentis inficias ire poterit quin multa ſint incerta, quæ pro certo euentura Aſtrologus prædicere non poteſt, & certam futurorum contingentium cognitionem inquirere, non modò impoſsibile, verùm etiam vanum, ſuperſtitioſum, diabolicum & ab Eccleſia damnatum eſt: non enim futuris contingentibus neceſsitatem imponunt cœleſtia ſidera: Tamen inclinationes hominum, aliarumuè rerum, quæ verè ſunt effectus ſiderum, perſcrutari, ad electiones noſtras, ita vt Phyſicæ limites non tranſgrediamur, non malum neq; impium eſt.

Sint in ſigna & tempora & dies & annos.) Oſtendit Moſes Deum ideo ſolem & lunam & reliqua fulgentia ſidera cœlo impreſsiſſe, vt & diſcrimina temporum efficiant, & aliquid ſignificent ſeu denuncient. Hoc igitur dicto Prognoſtica & iudicia Mathematicorum de futuris euentibus tanquam fundamento ſtabiliri complures exiſtimant.

Sunt autem futurorum euentuum genera, de quibus iudicia ſumuntur, in triplici diſcrimine. Alia enim ordine & poteſtate prima ſunt, & cauſam habent determinatam & infallibilem; cuiuſmodi ſunt indicia & prædictiones de ſolis & lunæ aliorumq; ſiderum motu, ortu & occaſu, & eorum inter ſe poſitu, de Eclipſibus luminarium & ſimilibus rebus, quarum præcognitio, cùm, experientia teſte, ſit certiſsima; altera huic

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

vicina, quæ de effectibus agit ſiderum, videlicet generalibus inferioris mundi accidentibus, de bello vel pace, de ſame vel abundantia, de peſte vel cœli clementia, de imperiorum & ſectarum mutationibus, de grandine & imbre, de flatibus & vehementi elementorum commotione, de terræmotibus aliiſq; rebus, quæ ex naturalibus qualitatibus et influxu ſiderum dependent omninò incerta eſſe nequit. Alia ſunt futura contingentia, quorum cùm non ſit determinata veritas, de iis nulla poſſunt eſſe certa indicia ſeu veræ ac infallibiles prædictiones, neq; per Aſtrologiam, neq; per ullam aliam humanæ rationis ſcientiam, ſed exiles tantum coniecturæ, quales ſunt actiones hominum, quæ ſimpliciter & omni ex parte ſunt voluntariæ, de illis nihil neq; veri neq; falſi certò prædici poteſt. Non enim anima hominis ſpiritualis, vt nec ei attributa voluntas, ſiderum cœleſtium imperio ſubiacet. Id quod his verſibus elegantiſſimis Poëta quidam expreſſit.

Sidera corporibus præſunt cœleſtia noſtris,
Sunt ea de vili condita namq; luto;
Cogere ſed nequeunt animum ratione fruentem,
Quippe ſub imperio ſolius ille Dei eſt.
Sed quia terreſtri mens aurea mole grauatur.
Sub iuga ſæpe ſui corporis acta venit.

Quædam ſunt quæ cauſam quidem habent determinatam ſed non prorſus infallibilem, de quibus Aſtrologi ſæpe uerum et rectum iudicium, ſi non demonſtrationibus infallibilibus, at ſaltem ſufficienti ac probabili coniectura fundatum proferunt. Cuiuſmodi ſunt operationes & effectus, qui partim à voluntate hominis, partim ab influentiis cœleſtibus dependent, eamq; ob cauſam varii ac mixti ſunt, prout homo conſtat duabus rebus, videlicet, anima rationali, quæ cœleſtis eſt & immortalis, & corpore, quod ex elementis conſlatum caducum & mortale eſt. Sed quia iidem effectus ſeu operationes magis ad corpus accedunt

dunt

dunt quam animam, minusq́; voluntati hominis, vt bona fortunæ, corporis & animæ habitudo, veluti & ſenſus ac intellectus, & valetudo bona & infirma, vitæ breuitas & longitudo, & βιοθανάτῃ mors, quæ vix hominis arbitrio aut ſapientia regi vel moderari poſſunt: De his aliqualiter prædictiones, non tam ſpeciales quam generales, fieri poſſunt: præcipuè uerò de affectionibus animiq́; motibus in θυμοειδεῖ & ἐπιθυμητικῷ, quæ licet voluntatem, quæ ſui iuris eſt, in ſua poteſtate non habeant; tamen eam ſæpe inclinant & flectunt, vt maxima pars hominum illis paßionibus ſeu affectionibus, quàm rationis aut voluntatis imperio, magis obediat.

Cæterum varias inclinationes, actiones, ſtudia & mores hominum ab aſtris originem ducere, quamuis ſunt qui dubitant; tamen id argumentis minimè dubijs probari poteſt.

Conſtat primas qualitates ex Aſtrorum viribus cœliq́; lumine oriri, & multifariam inuicem commiſceri: Et quia ex diuerſis earundem mixturis ſecundæ qualitates, nempe 4. naturales humores in corporibus exiſtunt, haud dubiè maximæ fiunt in illis alterationes, ex quibus variæ & diuerſæ cauſantur mixtiones, quas Græci κράσεις, Latini complexiones ac temperamenta vocant: quæ temperamenta inquam, cùm ſequantur affectus animi; quid mirum, ſi variæ hominum inclinationes & actiones & ſtudiorum ac morum diuerſitas inde quoq; proueniat? Sed de his iudiciorum & prædictionum generibus ideò prolixius commentari libuit, vt intelligerent adoleſcentes, qui pietatis & honeſtatis prima tyronicia faciunt, vtramq́; artem, tum eam, qua ſolis & lunæ reliquarumq́; ſiderum motus, & inter ſe poſitus, quolibet tempore, deprehendimus; tum alteram etiam, qua mutationes in corporibus inde proficiſcentes & ad eoſdem motus congruentes, per naturales ſtellarum qualitates inquirimus & conſideramus, voce & autoritate diuina comprobari. Quapropter eædem artes, quæ

vna

vna cum Geometria & Arithmetica ſub Matheſi compræhenduntur, quæq; ad illam Philoſophiæ partem, quæ θεωρικὴ dicitur, ſpectant, cum reliquis ſunt coniungendæ, ita tamen ne quid ſtudijs theologicis inde decedat. Et meminerint adoleſcentes, Aſtrologorum decreta in negocio ſalutis rebusq; diuinis prorſus inania eſſe & fallacia.

De operibus quinti diei.

Dixit autem Deus: producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli.) *Hic 21. eſt verſus, in quo deſcribit reptilium animæ viuentis ſeu viuentium, id eſt piſcium creationem, (ſic enim apud Hebræos animalia reptilia vocantur quæcunq; pedibus carent) & volatilium. Quorum naturas ac nomina & integras deſcriptiones Plinius tradit & Ariſtoteles.*

Creauitq; cete grandia) *Cetos ſeu balænas miræ magnitudinis. κῆτος, εος, in plurali κήτη. quorum ideo peculiariter hic mentionem facit Moſes, vt vel inde cognoſcamus immenſam Dei creatoris in hiſce tantis creaturis ſapientiam, potentiam & bonitatem, et ne fortè magnitudine illorum territi, exiſtimemus ſpectra eſſe, ſed magna Dei opt. max. opera. ſicut eandem ob cauſam ſcriptura alibi maiorum piſcium mentionem facit, vt Iob. 41. Spiritus S. deſcriptionem tradit Leuiathan.*

Omnem animam viuentem) *id eſt, corpora viua, in quibus eſt anima ſiue halitus.*

Benedixit illis) *id eſt, verbo ſuo iuſsit piſces & aues commixtione ſeminum, fœtura & prolificatione fœcunda ac felici propagari: ſicuti videmus mirabilem & numeroſam multiplicationem, imò prope infinitam fœcunditatem vtriusq; ſpeciei, nempe auium & piſcium. Hic obiter notandum eſt, Deum benedictionis voce vſum eſſe, non ad ſolem & lunam aut alias ſtellas reliquaq; inanimata, neq; ad herbas aut arbo-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

ves, licet ipſæ anima proditæ ſunt vegatatiuæ. Illa enim omnia ſaltem bona eſſe, hoc eſt ſibi placere dixit; ſed viuis benedixiſſe & ad ea tantum benedictionis voce vſum eſſe, vt oſtendat nouum generationis modum; Quia animalia viua ex ſe ſibi ſimilia generant corpora viua, quod non herbæ, non frutices & arbores, multò minus ſtellæ faciunt. Arbor enim non generatur ex arbore, vt quod pomus producit, non eſt pomus, ſed pomum: Sed quod homo generat, homo eſt, quod piſcis vel auis prolificat, piſcis & auis eſt.

De operibus ſexti diei.

Dixit quoq; DEVS, producat terra animam viuentem in genere ſuo, iumenta & reptilia & beſtias terræ, ſecundum ſpecies ſuas: Factumq; eſt ita.)

Hoc 24. verſu creatio deſcribitur. 1. Iumentorum, id eſt, animalium quadrupedum domeſticorum ſeu cicurum, quæ ratione carent, quæq; vt hominum arbitrio reguntur, ita illis in multiplices vſus inſeruiunt, & aliorum quæ carnibus non veſcuntur, Hebræis בהמה Behemah *dicta. 2. Reptilium humi repentium quales ſunt ſerpentes. 3. Beſtiarum, qua voce ſignificantur lupi, leones, & animantia* σαρκοφαγα,

Faciamus Hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris & volatilibus cœli, & beſtijs vniuerſæq; terræ, omniq; reptili, quod mouetur ſuper terram.) *Hic verſus 26. colloquium & conſultationem continet S.S. Trinitatis, de formatione hominis ad imaginem Dei, de qua extant multa Scripturæ dicta, huc interpretationis vice referenda. Sap. 2. Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis fecit illum. Inuidia autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Eccl. 17. Deus creauit de terra hominem & ſecundum imaginem ſuam fecit illum. &c. Iob 10. Manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me totum in circuitu.*

Pſal.

Pſal. 118. Manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me, da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua. Iacob. 3. Homines ad ſimilitudinem Dei facti ſunt.

Locus tertius, *de creatione hominis ad imaginem Dei, diligenter eſt obſeruandus, quem Chytræus hunc textum enarrans luculenter euoluit atq; explicat. Nunc vocabula quædam hîc poſita ſunt exponenda. Vox Hebræa* אדם Adam, *hominem ſignificat, ex humo ſeu terra formatum. Et ſpecificè vtrumq; ſexum maſculum & femellam complectitur, aliàs nomen proprium eſt primi parentis noſtri.* צלם Zelem *imaginem denotat alterius rei primariæ, & quaſi vmbram ſeu adumbrationem vel corporis vel rei alicuius primariæ: vt ſit ſenſus, hominem conditum eſſe in imagine Dei, non quidem forma corporea, quanquam & ipſa quoq; ad dignitatem & præſtantiam ac ſupereminentiam maximè appoſita eſt, ſed ſapientia ſeu vera Dei noticia, iuſticia, ſanctitate, immortalitate, libertate voluntatis & conformitate cum Deo reliquisq; virtutibus quæ in Deo relucent perfectiſsime.*

Præſit piſcibus) רדה Radah, *poteſtatem exercere ceu ius & dominium in perſonam aut rem aliquam ſubiectam & inferiorem ſignificat, quale eſt domini in ſeruum, regis in ſubditos.*

Et creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & fœminam creauit illos.) *Hîc primum nomen ponit Moſes ſpeciei humanæ, deinde vtriusq; ſexus, maſculi nimirum & fœminæ mentionem facit, vt oſtendat mulierem factam eſſe à Deo conſortem imaginis ac ſimilitudinis diuinæ, & imperij quoq; ſuper reliqua animantia, & communis poſſeſsionis in Oeconomia, prolis & facultatum ſeu fortunarum, imò etiam vitæ & gloriæ ſempiternæ in futura vita: quemadmodum Petrus dicit eas cohæredes eſſe eiuſdem gratiæ. 1. Pet. 3.*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

Eſt tamen magna differentia ſexus. Mas eſt ceu Sol in cœlo: Fœmina velut Luna: reliqua animantia ſunt velut ſtellæ. Vt enim Sol & luna in ſtellas, ſic quoq; Adam & Eua in omnia ſibi ſubiecta animantia dominium obtinent.

Benedixitq; illis DEVS, & ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris & volatilibus cœli & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram.) *In hoc 28. verſu Moſes oſtendit, vt Deus cum homines primum fingeret, mirabili quadam prouidentia illis ingenerârit vim procreandi ſobolem; vt legitima coniunctione ac commixtione ſeminum, totum genus humanum, præcipuè vero Eccleſia conſeruaretur & propagaretur, donec compleretur electorum numerus; Et vt iuſſerit illos auctos numeroſa prole totum terrarum orbem poßidere & replere.*

Dixitq; Deus: ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemet ipſis ſementem generis ſui: vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omniq; volucri cœli, & vniuerſis quæ mouentur in terra, in quibus eſt anima viuens, vt habeant ad veſcendum.) *His verbis manifeſtè oſtenditur Dei bonitas & φιλανθρωπία, qua huius ſuæ creaturæ curam gerit & rationem habet, eiq; de victu proſpicit ac conſulit. Et ſimul haud obſcurè inde colligitur, primos parentes noſtros, eorumq; poſteritatem, primis duobus millenarijs vſq; ad diluuium ſimplicißimo cibo vſos fuiſſe, nempe, radicibus, herbis & arborum fructibus, quam viuendi rationem longæuitatis ipſorum cauſam fuiße conſentaneum eſt.*

Hic obiter annotare placuit, quod Ioſephus lib 1. Antiquitat. cap. 40. ſcriptum reliquit: Deum primos parentes & priſci ſeculi homines longæuos feciße, vt ſiderum, præcipuè verò ſolis & lunæ curſus commodius obſeruare & perſcrutari

poſſent

poſſent; quorum beneficio, ſpacia dierum, menſium, annorum & Feſtorum diſcrimina conſtituuntur.

Locus quartus de Prouidentia. *Cuius plurima apparent ſigna & illuſtria teſtimonia in homine μικροκόσμῳ, & in tota reliqua natura: quam intueri oportet, & in ea diligenter conſiderare, vniuerſalem illam conſeruationem rerum, & pulchritudinem & ordinem & perpetuitatem ac modum generationis ac propagationis ſpecierum & plantarum, arborum, fructuum, frugum, florum, leguminum, liquorum & aliarum rerum terra naſcentium varietatem propè infinitam, & arcanas ac ſtupendas vires ipſis inditas; regulares item ratos & conſtantes cœleſtium corporum motus, ortus & occaſus, quorum viribus & efficacia terra aliàs fœcundatur modica pluuia rigata & grato tepefacta calore, aliàs nimio æſtu areſcit, aliàs aſtricta gelu quieſcit; & quòd non modò res naſcentes, ad animantium & præcipuè hominum, victum & alias vtilitates ſint deſtinatæ, verùm etiam quòd omnia alia ad certos vſus ſint condita.*

Huc teſtimonia ſcripturæ, probantia Deum architectum eſſe prouidum, ſapientem, omnipotentem, beneficum, & conſeruare ac ſuſtentare naturam à ſe conditam, animantibus vitam & motum perpetuò ſuppeditare, præcipuè verò hominum curam gerere, & omnia pro ſua liberrima voluntate regere & gubernare, referantur Act. 17. In ipſo viuimus, mouemur & ſumus. Coloß. 1. Omnia per ipſum conſiſtunt: Pſal. 103. Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore. Pſal. 35. Homines & iumenta ſaluabis Domine.

Viditq́ DEVS cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. & factum eſt mane & veſperi dies ſextus.

Valde bona, id eſt, admodum Deo placebant, quia ab eo creata erant, & cum ipſius mente congruebant pulchrè ordinata, & deſtinata ad certos vſus ipſi placentes. Et hoc 31. verſu totum caput clauditur.

VSVM PRIMI CAPITIS
& doctrinas præcipuas complectens.

QVisquis es, ætherei ſanctum venerare Pa-
Numen, et ipſius facta ſtupenda refer. (rentis
Qui mare, qui terras, depictaq́ꝫ mœnia cœli
Solers miranda condidit arte ſua.
Qui rutilo celeres Phœbo commiſit habenas
Lucis, & igniferi ſceptra diurna globi.
Aſt cum ſideribus reliquis præfecit opacæ
Nocti, ſplendorem pulchra Diana tuum.
Qui iuſsit flores, herbasq́ꝫ virere decentes,
Et terræ fruges arboreasq́ꝫ comas,
Ac fruticis genus omne, ſuisq́ꝫ animalia formis
Produxit varijs cunctipotente manu:
Quæ vel in vmbroſis diſcurrunt vndiq́ꝫ ſyluis,
Jndomita excelſi vel iuga montis amant,
Vel quæ prata colunt viridantia, quæq́ꝫ perer-
Vberis ac læti paſcua læta ſoli. (rant
Hæc Patris ætherei bonitas, hæc cuncta creauit
Vel ſolo nutu cunctipotente ſuo.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

Tum quæ proſcindunt pinnis mare, & æthera
Findunt, ipſius compoſuere manus. (pennis
Deniq; nos noſtrũq; genus formauit, et omnes,
Quas tenet hic orbis diues & amplus, opes.
En homini dulces cunctisq; animantibus eſcas
Contribuit larga prouidus ille manu.
Scilicet vt numenq; DEI, ſanctumq; celebrent
Perpetuæ nomen laudis honore ſuum.
Ex imis igitur tibi pectoris vsq; medullis
Carmine gratifico concelebrandus erit.
Gratifico cecini ſſe decet te carmine laudes
Jllius æternas, ſi pius eſſe velis.

USUS SECUNDI
Capitis.

CUm verbi virtute ſui Mundum fabricaſſet
Ex nihilo, Mundi maximus ille parens:
Jamq; dicata ſacris rebus placidæq; quieti
Septima lux Domini poſt opus omne foret:
Ex limo ſolers hominem formauit, vt eſſet
Subiecti cuſtos, cultor, honorq; ſoli.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

Vtq́; creatoris referens lucem effigiemq́;
Viueret Ambroſios clarus in orbe dies.
Dulcia cœleſtis dedit huic ſpiracula vitæ,
Mentis & impreſsit ſemina dia ſuæ.
Dehinc hilarem iuſsit ſpecioſis ludere in hortis,
Decerptisq́; bonis fructibus inde frui.
Nam peramœna DEVS latè viridaria dudū
Conſeuit, Ganges quâ rigat amnis agros
Excultos auro & pomis radiantibus agros
Ac Paradiſiaci florida prata ſoli.
Quaq́; ſui Gehon curſus primordia ſumit,
Euphratesq́; ingens, Tigris & vnda rapax.
Atq; ibi mandauit frondentis robora ſyluæ:
Floribus & folijs luxuriare ſacris.
In quorum medio reliquis generoſior arbos
Vna ſtetit celebri conſpicienda loco,
Fœta, aprica, ferax & fructus plena ſalubris,
Nomina viuificus cui dedit ampla vigor,
Prolixæ vitæ quia gaudia vera ſpopondit
Humano generi fœtibus illa ſuis.
Hanc iuxta ſubijt creſcens ſublimis in auras
Æthereas patulis arbor amœna comis,

Formo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

Formoſa aſpectu, iucundo plena ſapore,
Frondibus ac pomis delicioſa ſuis.
Arbor noticiæ dicta eſt prauiq́; boniq́;
Forſan ab euentu nomen adepta ſuum.
Diuini ſiquidem fuit inuiolabile pacti (bans
Signũ, hominis vitam ſpemq́; fidemq́; pro-
Atq; monens fontem bonitatis vt omnis, et om-
Læticiæ coleret tempus in omne Deum (nis
Hac ſanè humani voluit penetralia cordis
Jntima muniri Sceptriger ille parens,
Ne qua mali hinc labes oreretur et impia noxa,
Pœnaq́; perfidiæ perſoluenda foret.
Quare homini cunctis, quos hortus Edenius
Produxit, veſci fructibus ipſe dedit. (olim
Aſt vetito iuſsit pomo duntaxat & hiſce
Fœtibus arboreis abſtinuiſſe manum.
Ne ſcelere admiſſo mortem guſtaret amaram,
Ac fieret Diti præda cruenta malo.
O vtinam ſacræ ſeruaſſet fœdera legis
Jpſaq́; ſupremi ſcita verenda Patris.
Non certè annoſo longoq́; fatiſceret æuo,
Nec tanta humanum debilitate genus.

Tem-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

Tempore non vllo moreretur morte nefanda.
Nec fieret Stygio tetra carina duci.
Porrò magnificas cùm iam rutilantis Olympi
Et maris ac terræ conſtituiſſet opes:
Bruta Deus iumenta, feras, piſces, volucresq́;
Subdidit humano protinus imperio.
Cunctaq́; primæuo coram ſiſtebat Adamo
Diuerſa ſpecie diſparilíq́; nota.
Nomina præcipiens vt eis inſcriberet apta,
Ingenij ſolers pro ratione ſuij.
Vnde liquet fuerit quantæ ſapientiæ & artis,
Et quantæ primus dexteritatis homo.
Cum ſtaret pacto verax & fœderis ictj
Seruaret firma conditione fidem.
Vtpote quem largè multis ornauit & auxit
Donis, immenſus cunctipotensq́; Pater.
Cuius & è coſta mulierem ſtruxit, vt eſſet
Adiutrix operum conſilijq́; potens.
Multiplici numerans longaq́; propagine natos
Natorum, ſancti pignora coniugij.
Hìc animo reputes fuerit quã blanda parentis
Ætherei facies, quamq́; benigna manus,

Quan-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

Quanta voluptas, quis decor, & quæ gloria,
In prima fuerit conditione ſtatus. (quiſue
Cum pius affatim ſeſe oblectaret Adamus
Lœticia expletus delicijsq́; bonis.
Machina tunc cœli gemmata luce coruſcans
Diuino prorſus plena decore fuit.
Temperie fulſit verna atq; illuſtribus aër
Auricomus radijs pulcher Apollo tuis.
Piſcibus vnda freti tunc ſubſultabat aquoſis,
Innumeris rutilans gurgite cæruleo.
Omniparens lætis ſegetes tulit vndiq́; tellus
Nullaq́; non valde fertilis arbor erat.
Vſq; virens auibus reſonabat ſylua canoris,
Vſq; ſuum tenuit qualibet herba decus.
Non lethalis hyems, non intolerabilis æſtas,
Nec frutici reliquus peſtifer annus erat.
Grex armentorum ſemper ludebat & errans
Pinguè renidebat læta per arua pecus.
Sidus erat pulchrum terris homo, vertice ſacro
Aureolis circum quaq́; nitente comis.
Nullus adhuc Euam pudor obruit, ut nec Ada-
Non cor illorũ culpa premebat edax. (mum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1

Inſons namq; fuit, fuit & tunc nudus vterq;
Innocua vitam ſimplicitate gerens
Illius ergò ſacros meritò venereris honores
Qui tantæ ſapiens condidit artis opus.
Quem cœlum venerans, et terra pontus adorat
Et teres ac vaſtus quicquid hic orbis habet
Supplicibus votis hunc tu reuerenter adores,
Ac timeas Dominum corde micante Deũ.
Quo nil eſt maius, nihil eſt ſublimius et quem
Gloria, laus, virtus, imperiumq; decent.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1189 4° copy 1